

Universitätsbibliothek Wuppertal

Kleine Texte zum Alexanderroman

Pfister, Friedrich

Heidelberg, 1910

III. Briefwechsel zwischen Alexander und Dindimus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2947](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2947)

III.

Briefwechsel zwischen Alexander und
Dindimus.

Incipit epistola Alexandri regis ad Dindimum regem.

[Leo 220, 17—221, 15.] Per multas vices nuntiatum ^{169 v.}
est nobis, quod vita vestra et mores separati multum
essent ab aliis hominibus; etiam nuntiatum est nobis,
quod nullum adiutorium queratis nec de mari nec de terra.
Quod si verum est, multum mirabiles homines estis et
propter novam causam, quam audivimus de vobis, multum
incredibiles exinde permanemus, et proinde per istas
litteras te, Dindime, interrogando mandavi, ut, si verum
est, quod audivimus, et si per sapientiam hoc facitis, man- ¹⁰
detis hoc nobis nuntiandum, ut certus exinde permaneam;
ego autem, si potest esse, et ego sequar vitam vestram.
Semper enim ab infantia mea studium habui discendi.
Sic enim docemur a nostris sapientibus ad bene viven-
dum, ut vita nostra non reprehendatur. Sed quia audi-
vimus de vobis, quia supra sapientiam, quam didicistis
^{217 k.} a vestris sapientibus, aliam doctrinam observatis, unde
rogando mitto te, ut sine aliqua tarditate hoc nobis di- ^{170 v.}
cendo mittas, quia vobis nullum damnum exinde ad-
veniet et nobis forsitan aliquid utile accrescit. Bona enim ²⁰
et utilis causa est, quod commune habet homo cum altero,
et nullum damnum patitur homo de sua bonitate, quando
alterum hominem facit sic bonum, quomodo et ille est.
Talis est enim ista causa, quomodo, si habuerit homo
accensam facculam et alii homines ex ipsa accenderint
multas alias facculas, non perdit suum lumen. Sic est
et de bonitate hominis. Quapropter, sicut iam diximus,
sine aliqua tarditate nobis dicendo mandate hoc, unde
vos rogando mandamus.

Erste Antwort des Dindimus.

[Leo 221, 18 — 231, 15.] Cognovimus de te, Alexander, quia desideras scire, quid sit perfecta sapientia, quamvis te sciamus multum esse sapientem. Sed valde te in hoc laudo, quia hoc scire voluisti, quod melius est de omni regno. Imperator enim, qui nescit sapientiam, non dominatur ille alios, sed aliis serviet ille. Verum tamen durum et impossibile mihi videtur, ut tenere vos possitis vitam et mores nostros, quia multum separata est vestra doctrina a nostra.¹ Voluissem quidem tacere et veniam tibi petere pro hac causa, de qua erogando mandasti super omnia, quia nihil deest², si ego tibi de vita et consuetudine nostra scribere voluero, quia tu tempus non habes ad legendum, eo quod tu es occupatus in causis bellorum. Sed ne dicas, quia ego pro invidia hoc facio, quantum possum de hac causa, unde rogando misisti, scribam. De nuntio enim, quod de nobis ad te pervenit, incredulus fuisti; modo vero a me poteris cognoscere sine aliqua dubitatione certam veritatem. Quales enim nos sumus, qui beatam vitam ducimus, cognosce per has litteras.

20 Nos enim Bragmani simplicem et puram vitam ducimus, nulla peccata facimus, nolumus plus habere, nisi quantum ratio nostrae naturae est. Omnia patimur et sustinemus. Illud dicimus esse necessarium, quod non est superfluum; habundanter enim annonam habemus. Nullam aliam annonam ad manducandum querimus, nisi quam mater terra producit sine aliquo labore. De talibus cibis implemus mensas nostras, qui nos non nocent, et proinde sumus sine aliqua egritudine, et dum vivimus, sani sumus. Nullam medicinam nobis facimus, nullum adiutorium querimus pro sanitate nostrorum corporum. Divitias non amamus; inter nos nulla invidia est. Nullus inter nos fortior est de altero, et paupertatem, quam habemus, per eam divites sumus, quia nos omnes illam communiter habemus. Iudicia non habemus, quia malum non facimus, unde ad iudicium ire debeamus. Una lex est contraria nostrae naturae, quia misericordiam nulli facimus, eo quod nec nos talem causam facimus, unde

f. 224a.

218 K.

¹ So cod.; nostra doctrina a vestra Leo. — ² dēst cod.; prodest gut Leo.

misericordiam petere debeamus. Culpas alicui non dimitimus, ut per eas deus nobis dimittat peccata nostra, nec damus divitias nostras pro nostris peccatis. Nullum laborem facimus, qui ad avaritiam pertineat. Membra nostra libidini non tradimus; adulteria nulla committimus, nec aliquod vitium facimus, unde ad paenitentiam ire debeamus. Inlicitum est apud nos arare campum cum vomere et ad carrum boves iungere. Non inplemus ventrem nostrum de multo cibo neque retia mittimus in mare ad comprehen-
f. 224 b. dendos pisces; nec aliquas venationes facimus sive de 10
avibus sive de quadrupedibus terrae, neque coria bestiarum domum reportamus. Est enim insatiabilis causa cupiditas, quae solet ad paupertatem homines adducere, cum non possint finem acquirendi facere; nam quantum plus habet homo avarus, tantum plus desiderat habere. Balnea 173 v.
non facimus neque aquam calidam, ut corpora nostra lavemus. Quare corpora nostra lavare debemus, cum aliquod immundum ibi non sit? Sol nobis calorem dat et de rore infundimur. Quando sitimus, bibimus aquam fluminis. Lectum in terra habemus; quando dormimus, 20
sine aliqua sollicitudine dormimus. Nullam cogitationem habemus. Nullum hominem in servitio nostro habemus; non dominamur super homines, qui sunt nostri similes. Alioquin crudelitas est premere hominem ad servitium, quem nobis ipsa natura fratrem dedit, et qui est creatus ab uno patre caelesti, sicut et nos sumus. Non resolvimus nos petras in calces, ut faciamus nobis domus ad habitandum, et vascula nos de terra non facimus neque tegulas de eadem terra factas habemus. Fundamenta non ponimus, ut palatia faciamus, quia aut in fossis aut in speluncis montium habitamus, ubi nullus sonus ventorum auditur, et ubi nullam pluviam timemus. Nos enim tales domus habemus, in quibus dum vivimus, habitamus ibi, et dum 30
morimur, habemus illas pro sepultura. Nos nullum vestimentum vel varios colores tingimus; membra nostra non cooperimus pro aliqua turpitudine. Feminae nostrae non ornantur, ut placeant; etiam ipsum ornamentum pro pondere computant, quia nolunt¹ pulchrae esse pro ornamentis, sed tantum in ea natura, qua natae sunt. Nam quis

¹ norunt *cod.*; nolunt *Leo*; non norunt? *Kübler*.

potest mutare opus naturae? quod si aliquis mutare voluerit, criminum est, aut quia non est rectum factum, aut quia non potest stare. Lites non facimus, arma non apprehendimus; pacem habemus per consuetudinem, non per virtutem. De fati nihil querimus¹, quia omnes rectum facimus. Mortem non patimur, nisi legitima aetate, quia omnes equaliter mori novimus. Nostra sepulchra non ornamus, nec in vasis gemmatis cineres filiorum nostrorum ponimus. Quid enim peius esse potest, quam ossa, quae terra recipere debet? Vos ea incenditis et non dimittitis, ut in sinu suo recipiat terra, quos genuit, quando miseri hominis delectabilem sepulturam tollitis. Discant homines, quale meritum vestris amatoribus redditis. Vos Asiam et Affricam in parvo termino concludere dicitis; vos monstratis, ut horribilem Oceanum navigaret homo; vos omnia manducantes vultum semper ieiunum portatis; vos facitis adulterare vestras matres; vos mittitis discordiam inter reges; qui sunt humiles, etiam et per vos superbi facti sunt; vos et per vestros deos multa mala committitis, sicut illi fecerunt; nam testimonium potestatis² a Jove deo vestro et a Proserpina, quam colitis, quia ille multas feminas adulteravit, et illa multos viros ad infernum descendere fecit. Vos liberos homines non dimittitis esse honoratos, et vestros servos sicut nobiles habetis; vos iudicia recta non indicatis; vos iudices mutare legem facitis et omnia tenetis et dominamini super illa vitia, quae vos ipsi habetis. Sed sola sapientia Bragmanorum vincit vos in omnibus, quia, sicut nos consideramus, illa mater vos genuit, quae et lapides genuit.

- 175 V. mus, nec in vasis gemmatis cineres filiorum nostrorum ponimus. Quid enim peius esse potest, quam ossa, quae terra recipere debet? Vos ea incenditis et non dimittitis, ut in sinu suo recipiat terra, quos genuit, quando miseri hominis delectabilem sepulturam tollitis. Discant homines, quale meritum vestris amatoribus redditis. Vos Asiam et Affricam in parvo termino concludere dicitis; vos monstratis, ut horribilem Oceanum navigaret homo; vos omnia manducantes vultum semper ieiunum portatis; vos facitis adulterare vestras matres; vos mittitis discordiam inter reges; qui sunt humiles, etiam et per vos superbi facti sunt; vos et per vestros deos multa mala committitis, sicut illi fecerunt; nam testimonium potestatis² a Jove deo vestro et a Proserpina, quam colitis, quia ille multas feminas adulteravit, et illa multos viros ad infernum descendere fecit. Vos liberos homines non dimittitis esse honoratos, et vestros servos sicut nobiles habetis; vos iudicia recta non indicatis; vos iudices mutare legem facitis et omnia tenetis et dominamini super illa vitia, quae vos ipsi habetis. Sed sola sapientia Bragmanorum vincit vos in omnibus, quia, sicut nos consideramus, illa mater vos genuit, quae et lapides genuit.
- 30 Nos enim Bragmani subitam mortem non patimur, quia per sordida facta ipsum aërem non corrumpimus³, unde pestilentia venire solet. Nullos iocos⁴ amamus; si autem volumus scire aliqua, quae ad iocundum⁵ pertinent, legimus facta, quae fecerunt, qui ante vos fuerunt et quae vos facitis; et cum debemus nos exinde ridere, nos inde plangimus. Sed alia videmus, in quibus ammiramur et delectamur,

¹ querimur *verm. Kübler*; querimus *cod., Leo*. — ² potestis accipere *gut Leo*. — ³ corrumpimus *Leo*; carpimus *cod. (arp in Rasur)*. — ⁴ locos *cod.*; iocos *Kübler*; ludos *Leo*; *s. auch unten S. 32, A. 3.* — ⁵ locundum *cod.*; iocandum *Kübler*; ludum *Leo*.

hoc est: videmus caelum optime resplendere de stellis, solem 177 v.
rubicundum in curru suo et radios eius illuminare totum
mundum. Videmus semper mare in colore purpureo esse
et, quando tempestas¹ illi surrexerit, non dissipat vicinam
terram, sed amplectitur eam sicut sororem suam; et ubi
sunt varia genera piscium et ubi videmus cotidie saltare
et iocare² delfinas. Delectamur denique videre florentes
campos, de quibus in nostris naribus suavissimus odor
ascendit, unde et oculi nostri videndo satiantur et corpora
nostra; et delectamur in optimis locis silvarum et fontium 10
et gaudemus, quando audimus cantare aves. Hanc ammi-
rationem semper habemus. Nostra enim natura hanc con-
suetudinem habet, quam³ si tenere volueris, durum tibi
f. 225 b. esse videatur; et si nolueris eam tenere, tua culpa est.
Nos ad negotiandum per mare non navigamus neque man-
damus ad extraneas terras, ubi et multa pericula susti-
nent, qui illuc pergunt, et alia multa miracula cognos-
220 K. cunt. Nos artem non discimus, ut bene loquamur, sed per 178 v.
naturam bene loquimur; per simplicitatem omnia dicimus,
quae nunquam nos permittit mentiri. Scolas phylosophorum 20
non frequentamus, in quorum doctrina discordia est et
nihil certum definiens atque stabile, sed semper mendacia;
sed illas scolas frequentamus, in quibus bonam discimus
vitam, et quae demonstrant scriptum hoc, quod dicunt,
et non docent nos aliquem ledere, sed secundum veram
iusticiam iuvare docent, et non discimus in eis causam,
quae nobis aliquam tristiciam faciat. Nos in honore deorum
pecudes non occidimus neque templum facimus, ubi sta-
tuam auream vel argenteam ponamus de quaecumque deo.
Vos autem talem legem habetis, ut de omnibus bonis vestris 30
honoretis deos vestros, ut vos exaudire debeant. Vos non
intellegitis, quia deus non pro pretio neque pro sanguine
vituli neque pro sanguine hirci neque sanguine pecoris
exaudit aliquem hominem. Deus enim non diligit aliud
nisi bona opera, ut per verbum exaudit orantem hominem,
quia de verbo tantummodo homo simile est deo, ut deus
verbum est. Et verbum istum mundum creavit, et per 179 v.
verbum vivunt omnia. Nos autem hoc verbum colimus

¹ tepestas *cod.* — ² locare *cod.*; ludere *Leo*; iocare *Kübler.* —
³ qua *cod.*; quam *Leo, Kübler.*

et hoc adoramus et hoc amamus; nam et deus spiritus et mens est. Ideo autem non amat aliud nisi mundam mentem. Quapropter nimium vanos esse dicimus vos, quia non tenetis, quod natura vestra caelestis sit et cum deo habeat communitatem; sed de adulterio et fornicatione et de servitute idolorum vos ipsos et vestram naturam sordidatis. Vos istas causas amatis, ista semper facitis, quas cum facitis, quousque vivitis, mundi non estis et post mortem exinde tormenta sustinetis. Vos denique speratis
10 habere deum propitium pro carne et sanguine, quae ei offeratis. Vos non servitis ad unum deum¹, qui solus regnat in caelo, sed ad multos deos servitis. Vos tantos deos colitis, quanta membra habet homo in corpore. Iunonem dicitis esse deam cordis, quae dicitur apud vos
180 V. esse dea iracundie. Martem pro eo, quod fuit deus de pugna, dicitis illum deum esse pectoris. Mercurium pro f. 226 a. eo, quod multum loquebatur, dicitis illum deum esse linguae. Herculem vero, propter quod duodecim mirabiles virtutes fecit, dicitis illum esse deum brachiorum. Bachum
20 pro eo, quod fuit deus ebrietatis, dicitis illum esse deum gutturis et sic stare supra guttur hominis, quomodo supra cellam de vino plenam.² Cererem vero pro eo, quod fuit dea frumenti, dicitis eam <deam> esse³ ventris. Venerem, quae fuit dea fornicationis, dicitis esse deam membrorum genitalium. Iovem autem dicitis esse deum naris pro eo, quod dicitis eum tenere spiritum aëris. Apollinem vero pro eo, quod invenit ipse primum medicinam et musicam, dicitis illum esse deum manuum. Totum enim
221 K. corpus hominis dividitis inter deos, et non tenetis, quia
30 corpora vestra unus deus, qui in caelo est, creavit. Unus quisque autem deus de his, quos colitis, sive avem sive frumenta sive aliam qualemcumque causam consecratam habet, et vos quomodo illos dicitis habere potestatem in
181 V. vestro corpore? nam quomodo appellantur, qui non habent potestatem nisi in animalibus, quae illis offeruntur. Certe digna vota et digna tormenta post mortem sustinetis propter

¹ *cod. urspr.* aut unum deum, *verb. in deo*; *Leo*: ad unum deum; *Kübler*: deo. — ² *celum de vino plena cod.*; *cellam de vino plenam Leo*; *cadum de vino plenum Kübler*. — ³ *eam esse cod.*; *eam deam esse Leo*.

errores vestros. Re enim vera non rogatis deos adiutores sed carnifices, qui membra vestra per diversa tormenta dividunt. Necesse est enim tanta tormenta sustinere corpora vestra, quantos deos dicitis habere potestatem in corporibus vestris.

Unus deus vos facit fornicare, alter manducare, alter bibere, alter litigare; omnes vobis imperant et vos omnibus servitis, omnes colitis, et miserum corpus vestrum debet deficere propter tanta servitia, quae facit ad multos deos; et rectum est vos talibus diis servire propter tanta mala, quae facitis, et quia non vultis cessare a malis: 10 ideo servitis talibus diis. Sine causa enim servitis ad tales deos, qui vobis imperant omnia mala facere. Si vero exaudierint vos ipsi dii vestri, quando eos rogatis, damna faciunt in conscientia vestra; si autem vos non exaudierint, erunt contrarii desideriis vestris, quia vos non de alia causa illos rogatis nisi de malo. Ergo sive vos exaudierint, (sive non exaudierint)¹, vobis semper nocent. Haec sunt ille deae vestrae, quae dicuntur furiae, quae et peccata hominum per furorem post mortem vindicant. 20 Haec sunt illa tormenta, quae vobis doctores vestri dixerunt, quae vos velud mortuos iam in illo seculo cruciant.

f. 226 b. Etenim si bene volueritis considerare, non peiorem causam potest aliquis in inferno sustinere, quam modo sustineatis vos, et quanta simulacra dicuntur esse apud inferos, vos estis. 182 v. Penae sunt in inferno, et vos penas patimini, quando vigilatis propter committenda adulteria et fornicationes. Dicitur enim Tantalus esse in inferno, qui semper sitit et nunquam satiatur; et vos tantam cupiditatem habetis, ut nullo tempore satiemini. Dicitur enim esse Cerberus in 30 inferno, qui habet tria capita; et venter vester, si conspicere vultis, sic est, quomodo Cerberus propter multum manducare et bibere. Similiter dicitur, ut sit in inferno serpens, qui vocatur Idra, et vos propter multa vitia, quae per saturitatem ventris habetis, Idra dici potestis. Et omnia alia, quae dicuntur esse in inferno, si considerare vultis, propter vestra mala vos estis. Heu vos miseri, qui talem fidem tenetis, unde post mortem tormenta sustinere debeatis!

¹ *Erg. aus Leo.*

Item responsio Alexandri ad Dindimum.

222 K.

[Leo 231, 20 — 232, 1; 233, 25—27.] Si ita sunt omnia, ut dicis, o Dindime, ergo soli Bragmani sunt boni homines et ipsi tantum sunt separati a malis hominibus, qui nulla¹ mala faciunt, qui non habent in consuetudine facere ea, que humana natura facere solet, qui dicunt peccatum esse omnia, quae nos facimus, qui diversas artes, quae² apud nos sunt, peccata esse denuntiant, qui volunt destruere omnes consuetudines, quas humana natura usque
10 modo habuit. Vos aut deos vos esse dicitis aut invidiam
183 V. contra deos habetis. [Leo 233, 25—27:] Hanc causam secundum meum iudicium de vita et de moribus vestris dico, quia plus pertinet ad stulticiam quam ad sapientiam.

Ad haec respondit Dindimus.

[Leo 234, 3—19; 235, 9—23.] Nos non sumus habitatores istius mundi, quasi semper hic esse debeamus, sed sumus peregrini in isto mundo, quia morimur; pergimus ad domus patrum nostrorum. Non gravant nos peccata nostra, nec manemus in tabernaculis peccatorum. Nullum furtum facimus et pro
20 bona nostra conscientia³, quam habemus, in publicum eximus. Non dicimus, ut dii simus, aut invidiam contra deum habemus; sed non facimus ea, quae contra deum sunt. Deus enim, qui omnia creavit in mundo, varias causas operatus est, quia non poterat stare mundus sine
f. 227 a. varietate multarum rerum, et dedit arbitrium homini ad discernendum de omnibus, quae in mundo sunt. Quicumque ergo dimiserit peiora et secutus fuerit meliora, hic
184 V. non est deus, sed amicus dei. Nos autem, qui sancte et
30 continenter vivimus, propter quid⁴ diceretis, quia aut dii essemus aut invidiam haberemus deo? Ista suspicio, quam de nobis habetis, ad vos pertinet. Nam cum tantum inflatis de nimia prosperitate, quam habetis, obliti estis, quia ex hominibus nati estis. [Leo 235, 9—23:] Et dicitis, quia non curet deus mortalia. Edificatis vobis templa,

¹ nulla *cod.*, Leo; multa Kübler. — ² quas *cod.* und Grazer *Hs. des Leo.* — ³ conscientia *coll.*; conscientia *Seitenstettner Hs. des Leo*; consuetudine *Grazer Hs. des Leo.* — ⁴ *cod. urspr.* quid *korr.* in quod.

statuitis altaria et delectamini, quando occiduntur ibi pecora et nomen vestrum ibi nominatur. Hoc factum est patri tuo, hoc avo tuo cunctisque parentibus. Pro qua causa veraciter dico ego, quia furiosi estis, qui quod agitis ignoratis. Ergo nobis, qui recta videmus, vultis adducere tenebras cecitatis vestrae et non dimittitis, ut plangamus de miseriis vestris. Nam tantum beneficium prestat homo homini perditto, quantum si plangit eum. Quicumque se non agnoverit esse mortalem, de tali honore remuneratur, quali honore remunerati sunt Salmoneus et 10 Enceladus, qui inferno retrusi sunt, sicut dicunt fabulae filosoforum.

223 K.

Responsio Alexandri.¹

[Leo 236, 1—19.] Ideo, Dindime, dicis te esse 185 v. beatum, quia in ea parte mundi naturaliter sedem habetis, ubi nec extraneus est nec vobis inde exire permittitur; sed quasi inclusi in illis partibus sic permanetis, et dum non potestis dimittere terram vestram, laudatis illam, et damna, quae patimini, dicitis, quia per continentiam ea patiamini. Itaque secundum vestram doctrinam et illi, qui in carcere positi sunt, beati dicendi sunt, quia poenalem vitam in carcere usque ad senectutem habent; neque enim dissimilis est a talibus doctrina vestra. Nam et vos bona quae habere dicitis, similia sunt cruciatibus eorum, qui in carcere sunt, et illud, quod de malis hominibus lex nostra iudicat, vos naturaliter patimini. Propter hoc ita fit, ut, qui a vobis sapiens dicitur, apud nos reus pronuntiatur; et certe convenit, ut pro vestris miseriis plangamus et pro tantis vestris malis longa suspiria trahamus. Quae enim peior afflictio ho- 30 minis potest esse, cui negata est potestas in libertate vivere? Noluit vos deus in aeternis servare suppliciis, sed vivos f. 227 b. iudicavit vos sustinere tanta pericula. Quamvis philosophos vos esse dicitis, pro hoc tamen nullum fructum laudis habetis.

[Leo 232, 2—233, 25.] Verius ergo confirmo, quia 186 v. non est beatitudo vita vestra, sed castigatio, et si placet, dicamus singula de ordine vite vestrae. Dicitis enim, quia Bragmani non habent consuetudinem seminandi nec vites

¹ *Überschrift von jüngerer Hand nachgetragen.*

ponere ad arbores, non edificia pulcra facere. In hoc manifesta ratio est, quia non habetis ferrum, cum quo laborare possitis ista, quae diximus. Aliunde navigationem navigii habere non potestis; ideo necesse est, ut pascatis herbas et duram vitam ducatis sicut pecora. Numquid non et lupi hoc faciunt? Cum enim non potuerint praedare carnem, quam manducent, saturantur de terra pro penuria famis. Quod si liceret vos in nostras venire terras, non requirerem sapientiam vestram de penuria, quam habetis, sed in suis finibus remanserat ipsa penuria; aut si nos¹ ipsam penuriam transire potuissemus, pauperes facti fueramus. Non est laudandum vivere hominem in angustia et paupertate, sed si vixerit in divitiis temperanter. Nam cecitas et paupertas ipsae solae habuerant gloriam, cecitas, quia non videt, quod desiderat, paupertas, quia non habet, ut faciat. Dicitis, quia femine vestrae non orrentur, et apud vos non sint fornicationes et adulteria. Miranda causa fuisset, si hoc voluntariè fecissetis; sed ideo hoc facitis, quia non placet vobis species feminarum vestrarum, quia non sunt ornatae; et propter ieiunia², quae habetis, proinde in castitate permanetis. Dicitis, quod studium discendi non habeatis et misericordiam non queratis neque alteri faciatis. Omnia haec communia habetis cum bestiis, qui sicut non habent naturaliter, ut aliquod bonum sentiant, ita nec in aliquo bono delectantur. Nobis autem rationabilibus hominibus, qui liberum arbitrium habemus, ad bene vivendum dedit ipsa natura multas blandicias. Inpossibile est enim, ut tanta mundi magnitudo non haberet temperamentum moderationis, ut post tristitiam non adveniret leticia. Si quidem voluntas humana varia est, quae etiam cum caeli mutatione vertitur, similiter et mens ipsa hominis diversa est, et quando sincerus dies est, et voluntas et mens in gaudio sunt, et quando tenebrosus dies fuerit, tristes sunt. Similiter et sensus hominis per diversas aetates immutatur. Hinc est, quod infantia gaudet in simplicitate et iuventus in presumptione, senectus tardatur in instabilitate.³ Quis enim querit in

¹ *cod.* non; nos *Leo, Kübler*. *Statt* ipsam penuriam *hat Leo*: in vestras fines; *Parallelversion*: in vestras sedes. — ² *genua cod.*; ieiunia *Leo*. — ³ *Bei Leo muß es heißen*: tardatur instabilitate.

puero astuciam, aut in iuvene constantiam, aut in sene mobilitatem? Multa enim delectabilia sunt, quae ad usum nostrum occurrunt, alia visui nostro¹, alia in auditu, alia ad odorem vel tactum vel saporem²; et modo saltationibus delectamur, modo cantilenis, aliquotiens suavitate odoris aut in gustu dulcedinis aut in tactu molliciae delectamur. Si enim omnes bonos fructus habemus de terra 189 v. et habundantiam piscium habemus de mari et delicias avium habemus de caelo, si volueris te ab his omnibus abstinere, aut superbus iudicaberis³, quia talia dona despicis, aut invidiosus, quia mihi meliori tibi donata esse videntur.⁴ 10

¹ alia visui nostro *fehlt bei Kübler*. — ² saporem *cod.*; saporem *Leo, Kübler*. — ³ iudicaveris *cod.*; iudicaberis *Leo, Kübler*. — ⁴ *So richtig cod.*; *Parallelversion*: quod a meliore praestentur; *Kübler vermutet*: meliora quam; *verderbt bei Leo*: quia nos, qui sumus meliores quam vos, donata nobis esse videntur.